

Mamurci, Domina Marchiae Sclavonicae et Mechliniae, Vidua Dux Lotharingiae et Barri, Magna Dux Hetrueriae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis: Quod Nos, posteaquam pro singulari illa vereque Materna, qua in percharum Nobis Hungariae Regnum Partesque Eidem adnexas nullo non tempore ferimur, Propensionis et Benevolentiae studio, incensanti in provehendis omni ratione fidelis Nobis subditae Gentis Hungarae commodis vigilantes cura et sollicitudine, Commertium quoque Regni hujus, quod angustis nimium hucadusque Limitibus circumscriptum erat, ex quo nihilominus innumerae omnem in Rempubliam promanant Utilitates, quodve ad solidam perfectamque Regni cujusvis felicitatem ut plurimum conferret, novis incrementis augere, illudve in perpetuum Materni affectus Nostri Testimonium et argumentum quam firmissime stabilire benigne decrevissemus, atque hoc Consilio ardentissimis Regnicolarum votis jam dudum exoptatam, summisque omni tempore Desiderijs suspiratam Partium Maritimarum, quae dissolutis Maritimis Regni Croatiae Comitibus distinctis subinde Gubernijs creditae erant, Reincorporationem motu proprio, ac tempore ubi minime putabatur, benigne resolvissimus, hacque ratione iteratis in Regni Diaetis antenatorum Fidelium Statuum et Ordinum Regni precibus clementer deferendo, factae etiam Eisdem Inaugurationis Nostrae tempore solenni de reapplicandis successive Sacrae Regni Coronae iisdem Districtibus et Provinciis, quas ad Eandem ab olim Jure pertinuisse, temporumque vicissitudinibus ac per varias circumstantias avulsas esse dignoverimus, in Verbo Regio Promissioni Nostrae satisfecissemus, Vigoreque Benignae Resolutionis hujus Nostrae Portus Buccari, Buccaricza et Porto-Ré, cum omni juxta Viam Carolinam posita Colonia, praehabitoque ibidem Commerciali Districtu, Sex Castellanus Bonorum Buccariensium complectente, ipsam praeterea Civitatem Carlostadiensem in Liberam Regiamque Civitatem evehendam, Regno Croatiae in specie reincorporari fecissemus; ultra haec porro Urbem et Portum liberum Fluminensem peraeque incorporando adjecissemus; Benigne una decrevimus, ut ex neo-reincorporatis praevia ratione Partibus (ijs unice, quae pro Rei Commercialis Manipulatione necessariae, ad immediatam quoad universa Publica, Politica et Judicialia non secus et Oeconomicalia constituti eatenus Gubernatoris Fluminensis Littoralisque Hungarici Jurisdictionem pertinebunt, et adjicientur, Portu utpote et urbe Fluminensi nec non alijs tribus Portibus Buccari, Buccaricza et Porto-Re, cum Incolis ac Terrenis suis, aliisque Locis Districtus ejusdem Littori Maris contiguis, qualia essent Tersactum, Costrena et respective Draga, exceptis), in veteris Vinodoliensis Comitatus locum novus Comitatus Szeverinensis Nomine insigniendus efformetur et errigatur, Eidemque non modo, ut justam Comitatus Extensionem nanciscatur, ferendorumque Onerum, praecipue vero conservandae Viae Carolinae par efficiatur, verum Manipulationi etiam Commerciali aptior reddatur, Districtus Trans-Colapianus, qui hactenus quidem Jurisdictioni Comitatus Zagrabienensis suberat, ob remotiorem tamen situm difficulter admodum administrabatur, majori publici utilitate adjiciatur. Praemissa autem ratione errigendum, atque per operantem actu in negotio Excorporationis Corporum et Districtuum ex Provinciali ad Militare Localem Commissionem suis Limitibus accurate distinguendum, ad Normam et ad instar aliorum Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Comitatum efformari et in omnibus conformem fieri benigne volumus. Atque ideo Politica quaevis et Provincialia objecta, modalitate alias in Regno hoc introducta